sed etiam ab ignotis hereticis baptizatus non iterum baptizandus ē, sed per manus impositionem suscipi iubet? Recolendum etiam, qd s. Genesius Arelatensis eps, cum esset histrio, fictus et ludens baptizatus fuerit, sed cognita veritate, quae xps est, sine baptismatis iteratione xpianae fidei, quam se credere fallaciter spoponderat, veraciter adhaesit? Sed ais: Parvuli baptizati si in parvula aetate moriuntur, non dubium ē qd paradisi gaudia statim percipiant; illi aū qui perfectae aetatis per vim bapt. est, si prius ex hac vita subtrahitur quam voluntarie credat in xpm, numquidnam pro eo tamquam pro fideli orandum est? praesertim cum bōs. apls dicat: est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut quis roget. Peccatum aū ad mortem, ut ait Aug., ē fidem quae per dilectionem operatur deserere usque ad mortem. Huius questiunculae nodus ita solvitur. Parvulis impotentia non est imputandum, qd reluctantes nolentesque baptizantur, quia necdum rōne uti possunt, nec boni malive distantiam nosse valent. Hii autem, qui legitimam aetatem habentes per vim baptizati sunt, si prius moriuntur quam vol. in xpm credant, ideo baptismus prodesse non potest, nec pro eis orandum ē, quia et rōnis capaces fuerunt, et distantiam inter verum et falsum habere potuerunt. His ergo de compendio praelibatis, evidenter patet, ut ille qui per vim bapt. ē, si postea in xpm credere noluerit, baptizandus iterum non sit, sed magis hortandus, ut qd invitus suscepit, amando et operando usque in finem custodiat. Sq. per hanc formulam intelligi datur, ut qui sacrum ordinem invitus accepit, si postmodum ministrare voluerit, ulterius iam in eodem ordine non sit consecrandus, sed potius admonendus, ut quod per vim coactus suscepit, per dilectionem reverenter ministrare studeat.

—